

MARIÆ Natalibus PROFIÆ,  
M. ELIÆ MAJORIS P.L.C. & Gy-

mnaſii apud Vratiſlavienſes Re-  
ctoris, Conjugis;

*Femina exempli probatiſſimi;*

*3. Non. Januarias*

Ann. Chriſt. clo Ioc L.

cum vitæ quidem,

in quâ

Pietati & ſanctimoniam adverſus DEUM,

Æquitati & candori adverſus Proximum,

Caſtui & Modestia adverſus ſeipſam,

unicè ſtuduerat,

quingenta ſex:

Conjugii verò,

in quo

Marito fidem & induſtriam,

Liberis curam amoremq;

Servitio manſuetudinem, benignitatemq;

quod potuit,

probaverat,

duos & triginta annos

*laudabiliter tranſmiſiſſet,*

*piè beateq; defuncta,*

HONORABILI MEMORIAE

dicata

EULOGIA.

---

VRATISLAVIÆ

Typis BAUMANNIANIS

Exprimebat GOTTFRIDUS GRÜNDER.



## MARIA MAJORIS

Mortis Christiana Domina,

ex Urbani Rhegii Dial. fol. 10.

Es stirbt kein Christ / es sterben nur die Heyden  
und die Ungläubigen.

**N**andem eluctaris subjectis hostibus, & quam  
Sis<sup>[a]</sup> Domina excellens mente fideq; probas,  
Gloria fœminei sexus, MARIA, marita  
Omni virtutum laude Coruscapia.  
Alpha fuit vitæ crux, ast est victa ferendo

Abs te, Speq; simul cætera pulsa mala.

O mega mors, instar quam mens timet atra Leonis,  
Est veluti <sup>[b]</sup> pellis pectore trita tuo.

Scilicet haut moritur Christianus, turba maligna  
Et pagana cadit morte perempta truci.

Novi equidem Satanam mortemq; ubi perdere possent,  
Et Satanam & mortem nos jugulasse diu.

At vetuit JESUS! cujus tibi fixa medullis  
Gratia sachaream reddidit una necem.

Hoc accensa uno valuisti nomine, quantum  
Non valeant socio mundi Acheronte decem.

Gentiles igitur plorent, plorentq; maligni,  
Se vinci & verè morte perire malâ.

Nostra MARIA aliud dicit; nam justa triumphat  
De letho, & latè nunc dominatur ei.

Salvete

Salvete ô cineres, in pace quiescite, mentem  
Ornent victricem regna beata poli.  
Tu verò Major, Rector præclare Lycei,  
Disce modo simili vincere quæ pateris.  
Naufragium fateor pateris! ratis aurea Coniux  
Mersa est ab quantis mercibus illa gravis!  
Hæc ita ferre decet, sic mens exercita duris  
Proficit, ô sanctam, sit licet arcta, scholam!  
Non qui pauca tulit, bonus est athleta vocandus,  
Plurima qui tolerat strenuus ille pugil.  
Obdures igitur; viduum te Jovæ juvabit,  
Et vehet in lucem te schola sancta crucis.

[a] Alluditur ad nomen Mariæ, quod nonnulli ex Syriaismo deducunt, in quo fœmininum מריָָָ notat Dominam.

[b] Bernhard. in ult. Epist. pulchrè: Mortem non amplius velut leonem timemus, sed velut pellem conculcamus.

Animo debitæ *συμπάθειας* decla-  
randæ deproperabat  
ANANIAS Weber S.S. Theol. Doctor,  
Vratislaviæ ad S. Elisabethæ Pastor, &  
Ecclesiarum ac Scholarum Orthodo-  
xarum Inspector.

Defuncta ad Maritum superstitem.

Nomine Majoris gaudebam & jure, Marite,  
Per te, dum thalamo consociata tuo.  
At nunc existo reverà, ut sentio, Major,  
Dum datur abrupto vivere conjugio.  
Existo Major terrenis fluctibus, omni  
Fortuna Major dego, quiete fruor,


A 2

Nec

Nec Mors, nec Sathanas, aut inclementia Averni,  
Infidiæ aut carnis damna ciere queunt.  
Omnibus his Major cælo securo triumpho,  
Nec nisi lætitiâ mens mea tota capit.  
Haud lacrimas igitur, Charissime, funde, futurus  
Major, ubi luctum viceris ipse tuum.  
Quin non duntaxat Nomen Majoris habebis,  
Re quoq; Majorem parta trophæa ferent,  
Quando Redemptoris meritum, divinaq; VIRTUS,  
TE MECUM æternâ junxerit arce poli.

*Maestissimo Dn. Viduo, amico longè jucun-  
distimo, solatii loco l. m. promebat*

CHRISTOPHORUS Freywald Liberi Baronat.  
*Milicensis Cancellarius.*



Magnus in orbe dolor socios amittere, major  
Natos, uxorem maximus orbe dolor.  
Sic tu, sic multi, sic forsitan arguit omnis  
Quisquis tam pressa vulnera mentis habet.  
Subscribo. Ulterius tamen & sic pergo: Medela  
Nonnunquam magni magna doloris adest.  
Consiliis opus est! non deerit fidus Achates.  
Verba cupis! plenus numinis ore dabit.  
Vota placent tandem! multi jam multa dederunt.  
Sim postremus ego; non nego vota tamen.  
Rector es hic Major, te Major rector Olympi est.  
Tu regis hic multos, te regat ille, sat est.

*Ita condolendo vovet*

DANIEL WINCLERUS, D.

Ex

*Ex dicto Sir. c 10. v. 25. 26. & 27.*

In medio fratrum Rector illorum in honore, & qui timent  
Dominum, erunt in oculis illius. Gloria Divitum  
honoratorum & pauperum timor DEI est, Non de-  
spicere hominem Justum, pauperem, & magnificare  
VIRUM peccatorem Divitem. Magnus est Judex  
& potens in honore, & non est Majorillo  
*qui timet Dominum.*

Est antiqua mihi tecum conjunctio MAJOR,  
Quam schola, quamq; Patris conciliavit amor.  
Primus eras, inter discentes ordine primo,  
Classis at, extremum dans mihi, quarta, locum.  
Ex illis, o quot possem numerare celebres,  
Insignes meritis & pietate Viros,  
Patria quos fido mihi junxit amore Sodales,  
Nota Patris quibus & cum pietate fides,  
Abstulit è vivis quos plures Martius ensis,  
Et cum peste famæ, cura laborq; gravis.  
Per pauci restant, quos nutrit clara Budorgis.  
Apparent rari, vix super unus adest.  
Veraloquor, sed Te sexcentos inter Ephebos,  
Non prior ullus erat, doctior ullus erat.  
Hinc præceptorum Te nobis vox veneranda  
Artis ad exemplum nobile proposuit.  
Extulit & medio Te Fratrum Patria nostræ,  
Commendans fidei Sceptra regenda scholæ.  
Magnum opus & labor est moderari posse Lyceum,  
Artibus & lingvis dexteritate pari.  
His nam temporibus, quibus est prolapsa juvenus,  
Et raro sequitur dicta paterna Puer,  
Croeso summus honos. Iro sed nullus habetur,  
Dives ubiq; viret, Pauper ubiq; jacet.

A 3

Rara

Rara avis est pius Aeneas, Dux impius Ajax  
Colla premit miseri viq; doloq; gregis.  
*Pro meritis magnis redduntur premia parva,  
Est labor in miseris & sine fruge scholis.*  
*Sed pietas hac grata DEO, labor ipse juventa  
Utilis, & Te non premia parva manent.*  
*Nam Tibi semper erit multo pulcherrima merces,  
Unicus, aeternus, Rexq; Paterq; DEUS.*  
Vivimus in quo nos uno, sumus atq; movemur,  
Temperat arbitrio qui tua fata suo.  
Is quae cunq; facit bona sunt, immo optima; felix  
Tristia qui credit, qui sua laeta DEO.  
Transtulit ille tuam caeli in Palatia costam,  
Hunc obitum merito flet tua tota domus.  
In prolem studiosa Parens, studiosa Mariti,  
Cujus & est pietas cognita saepe mihi.  
Quis neget immensi Tibi causas esse doloris?  
Quis doleat casu non graviterq; tuo?  
Sed vivit conjux vivit, facta incola caeli,  
Ne lacrimas, plausus sed petit illa tuos.  
Jamq; suis oculis spectat super omnia Regem,  
Qui pueri vultus induit ipse Puer.  
Cujus nunc celebrat terris Ecclesia cunas,  
Hunc tua cum superis jam super astra colit.  
Magnus ubi numerus Sanctorum, carmina sancta  
Angelicis turmis associata canit.  
Svaviter interea dum pallida membra quiescunt,  
Expectant Christi mente vigente diem.  
MAJOR es, hinc gravior Tibi quo dolor, hoc mage contra  
Ire decet, melius nec tua damna feres.  
*Aspera fata Pii superat patientia Victrix,  
Exercent nostram tristia damna fidem.*

Ergo

Ergo sit Jovæ benedictum nomen & inter  
Caelicolas conjux sit benedicta tua.  
Magnus Alexander valeat, Pompejus & omnis  
Caesaris Augusti gloria, regna, Duces.  
Femina cui pietas cordi, cui cura, laborq;  
Maximus, aeternis invigilare bonis,  
Regibus hanc praefert cunctis magnisq; Dynastis,  
Et David & Salomon, Siracidesq; pius.  
Quod demonstravit prolixis Concio verbis,  
*Reddita quæ Populo gratia magna fuit.*  
Quod restat, precor, & mecum bene quisq; precatur,  
Teq; tuosq; tegat servet & ipsa salus.  
Ut vivus plantes caelestia regna, sepultus  
A serâ laudem posteritate feras.  
*Christe veni tandem tristi nos solve catastrâ,  
Transfer in aeternam nos quoq;, Christe, scholam.*  
*Ita VIR Clarissime, alludendo ad sermonem funebrem  
Εξαγγελιον post deductionem pie in Domino de-  
functæ tuæ uxoris à me habitum, veterem meum a-  
morem contestari & in primis τὴν πατρικίαν Φιλίαν  
Tibi in mentem revocare, & συμπάθειαν meam,  
erga Te tuosq; declarare volui lubens meritoq;  
M. GEORGIUS SEIDELIUS Ecclesia Ne-  
apolitana Vratislaviensis Praepositus.*

Dum charam luges, Major perchare, maritam,  
Summi soletur te Jovæ sancta voluntas;  
Qui nos ceu nasci jubet, atq; hic vivere vitam,  
Sic vitam meliore beat, caeloq; locat, quos  
Corporeo solvit vinclo, & sibi vindicat ipsi.  
affectu amicissimo f.  
JOHANNES KRETSCHMAR. Reipub.  
Vratislav. Secretarius.

Dulcis

**D**ulcis Amice, premis Majorem corde dolorem,  
 promere quam vultu quam lachrymisq; vales.  
 Et Te nunc angit, quondam quod Me grave Fatum,  
 Ut Tibi sit funus quæ tua vita fuit!  
 Adjutrice viro magis haud opus esse videtur,  
 Conjuge, quam senium cum properanter agit.  
 Hac quia, contristate senex, video esse carendum.  
 Viribus in senio langvidiore, Tibi;  
 Quid mea ni gravis hinc dolor occupet ossa, vetetq;  
 Tristis ut ipse tuam tristitiam haud abigam?  
*Talia sic veniunt in terris tempora Amicis,*  
*Fiat ut Ambobus dulcis, amaror, Amor.*  
 Ergo quid invidet dilectio nostra Beatis,  
 Talia ut in cælis tempora semper agant?  
 Tristis amaror abest ubi prorsus Amantium amore,  
*Inter Electos jubila sæcli ineunt.*  
 Talia perpetuæ gratemur tempora vitæ  
 Uxori charæ, tristis Amice, tuæ.  
 Et nos mutuiter solemur Amicus Amicum,  
 Solatur quantum nos DEUS ipse suos.

*Amicum ultra 50 annos constantem. post felix ultra  
 30 annos conjugium, mestum viduum  
 solatur Amicus*

**JOHANN RURTZMAN Vratislaviensis in**  
*Eccles. patria ad D. Mar. Magdal. Archidiacon.*  
*& Senior, ad S. Trinit. Ecclesiast.*



O lacrumæ

**O** Lacrumæ! sed jure doles. Nam chara Marita,  
 Pulchra corona domus, morte perempta jacet.  
 Non jacet: æthereis se sedibus intulit ipso  
 Orbetriumphato, gaudia vera tenet.  
 At Tu, si tanto flagras uxoris amore  
 Premissa, quanto regna beata petes?  
 \* \* \*

**E**s ist mir leid/ daß Euch/ Her! Rector/ Die betrübet/  
 Die Euch/ die Ihr gewieß von Herzen hoch geliebet/  
 Es ist mir leid/ daß Die beschloßen Ihren Mund/  
 Die Euch so manche Sorg vnd Kummer wenden kunt.  
 Ihr Tugendhaffter Sinn/ Ihr redliches Gemütte/  
 Bescheidenheit vnd Wis/ sorgfältigkeit vnd Güte/  
 Zucht/ Fried vnd freundligkeit/ Ernst/ Schertz vnd Ehren-Lust/  
 Ist freylich lobens werth/ vnd jederman bewußt.  
 D das heist wohl gefreyt. Ich kan auch leichtlich dencken/  
 Daß Euch Ihr Todes-fall sehr schmerzlich möge fräncken.  
 Wann so viel Macht bey Euch/ als Liebe sich erregt/  
 Fürwar es hette Sie der Tod noch nicht erlegt.  
 Was würd' es aber seyn? Es müste von Euch Beyden/  
 Das eine leglich doch zu erst von hinnen scheiden.  
 Der liebe Gott/ der Euch zusammen hat gefügt/  
 Vnd so geraume Zeit in vielen wol vergnügt/  
 Der hat Euch auch getrennt. Vom H. Erren ist Sie kommen/  
 Der H. ERX hat Ihren Geist von hier zu sich genommen/  
 Den Leib zur Ruh gebracht. Sie bleibt/ Sie ist nicht tod/  
 Sie lebt/ Sie freuet sich/ fühlt weiter keine Noth.  
 Sie lest nur ander' hier die perlen-händlein binden/  
 Die Nelcken färben vnd manch schönes Kränglein winden.  
 Sie hat den besten Schatz/ den schönsten Blumen-Thal  
 Befunden vnd erlangt in jenem Engel-Saal.

In gratiam & solamen Fautoris honoratissimi scripsit  
**CHRYSOSTOMUS Schulz Leorin. Siles.**


B

Dum

**D**um Profiam luges, tantoq; dolore requiris  
 Præreptam uxorem, Clare Patrone, Tibi.  
 Non possum tecum non collugere, piæq;  
 Heu quondam! Profiæ non memor esse meæ.  
 Nam genus ut commune & avitum nomen utriq;  
 Sic probitas eadem, mensq; fidesq; fuit.  
 At Tu, qui mihi, quiq; aliis solatia dixti,  
 Mens quoties simili pressa dolore foret,  
 Nunc age divinum robur viresq; resume,  
 Et luctum Ipse Tibi, perge levare tuum.  
 Quin etiam Conjux lachrymis decorarier odit,  
 Dum jam læta Deo gaudet ovatq; polo.  
 Idem qui dictare aliis solatia fecit,  
 Te sentire dabit talia posse DEUS.

*Inter occupationes publicas Vratislavia, debita  
 observantia & honoris ergo adscribebat*

**BALTHASAR THOMAS, Reipubl.**  
*Nambslaviens. Syndicus.*



**MARIA MAJORIS PROFIA:**

*per Anagramma;*

**O PIA FIRMI AMORIS ARA!**

**E**xstitit ARA Tui, MAJOR, sub fornice Templi:  
 Templum hoc, Magne, tua est, Gymnasiarcha, Domus.  
 Gymnasium ARA fuit FIRMI prænobile AMORIS;  
 Cujus erat Virtus Relligiosa labor.


GRATA

Grata erat ARA DEO, gratusq; erat ipse SACERDOS,  
 Grata DEO sancti munera thuris erant.  
 Perpetuis etiam resplenduit ignibus ARA;  
 Ignibus, ex flammâ continuante Tori.  
 Nunc jacet ARA Domus, focus in cineresq; redactus,  
 Mysta madet lacrymis, Turba ministra gemit.  
 O! PIA FIRMI ARA est destructa, exclamat, AMORIS!  
 Præcipiti casu Nobilis ARA ruit.  
 Amplius haut lætis splendescunt ignibus ades,  
 Nec magis hæc festis ARA erit aucta suis.  
 Verum est: ARA Tuis, Venerande MAGISTER, ocellis  
 Erepta est; oculos stat tamen ante DEI.  
 Translata ex terris, cœlestis in atria Templi,  
 Aeterno Summum maectat odore thronum.

\* \* \*  
 JOVA Domum viduam MAJORIS robore firmet,  
 Omnigenaq; beet prosperitate VIRUM.  
 Conservetq; diu, quem PATRIA BRESLA Lycæis  
 Dextro præfecit Numinis auspicio.  
 Sentiat ut porrò MAJORIS munere, fructus  
 Curia, cumq; aris quilibet Ucalegon!

Suo olim DN. Præceptori infinitis Nomi-  
 nibus devenerando, ὀλοφύχως ἀμπεύχων,  
 l. m. q; transmitt:

FRIDERICUS SCULTETUS, Ecclesiæ  
 Hernstadiensis Pastor, & Ejusdem  
 Districtus Senior.



QUI THALAMUM, Vir Magne, tuæ, pro more Maritæ  
Ornavi, ornarem versibus & TUMULUM;  
Obstant sed tristes curæ & gravis ipsa senectus,  
Ut non, quæ sapiant, fingere metra queam.

Rom. 12.  
v. 15.

Interim, ut ante Annos gaudebam, pectore gaudens,  
Ista tibi quando juncta Virago fuit:

Sic nunc condoleo & lacrumis colluctor acerbis,  
SOLEM, percipiens, interiisse tuum.

Syr. 26.  
v. 21.

Qualis enim quantusq; dolor sit Conjuge charâ  
Privari, didici, bis viduatus, Ego.

Scribere & hîc vellem, sed nolô augere dolorem:  
Accipe sis monitum, tristis Amice, breve:

D. Jacobi  
Schickl.

ILLE sapit Magnusq; ILLE est, qui pectore magno,  
Fortuna casus scit superare graves.

ILLE sapit Magnusq; ILLE est, qui incommoda vita  
Maxima, ferre animo conveniente potest.

Sis memor ergo Tui, qui re es, qui nomine Magnus,  
RECTOR & officio, qui regis arte scholas,

Atq; tuum Luctum, Sapiens Vir, pectore magno  
SOLIS ob occasum, corrige, fer, supera.

Noli animum infestâ penitus vexare querelâ,  
Et faciem macie dilacerare, precor.

Non Libitina tuam rapuit nec Parca Maritam  
Ethnica, sed noster sustulit ipse DEUS,

Job 1.  
v. 21.

Qui dedit; Is justus, JUS ipsi & in omnia nostra:  
Jure suo utentem carpere Nemo potest.

Matth. 6  
v. 11.

Velle tuum est, quodcunq; ipse vult, nolle quod Idem  
Non vult; hæc mandant Biblica scripta, scias!

Ivit

Ivit præ tantum; JOVA imperitante, sequeris,  
Ipsamq; adspicies, rursus & accipies.  
Nam licet à nobis radians Sol vespere migrat,  
Ejus & adspectu cuncta animata carent;  
Mane tamen rediens supero splendet Olympo,  
Et roseo croceos gurgite tollit equos:

Sic tua justitia SOLI confisa MARTA,

In Vita atq; ipso mortis agone simul,  
Instar solis ovans dias remeabit in auras,

[Venerit ut Pantoeriticus ille Dies]

Ex tenebris Tumuli: Tum mente & corpore, cælo  
Glorificata novo, restituenda Tibi est.

His animum irrores languentem, MAJOR Amicæ  
Inter constantes, corde probate, viros.

Opto tuæ exultet cœlesti in sede MARIÆ  
Spiritus, in TUMULO molliter ossa cubent,

Ad quem florescant & crescant germine lato  
Candida Odorifluis LILIA mixta ROSIS.

Et tibi post lacrimas risum, post nubila solem  
Post fel Mel referat, MAXIMUS ipse DEUS!

*In honorificam, Pientissimæ, placidissimè nunc defunctæ  
MARIÆ PROFIÆ, aternâ memoriâ dignissimæ  
Femina, Memoriam; nec non maestissimi ejus Dn.  
Vidui, & relictorum post se Filiorum Filiarumq;  
solatium, tam hisce quàm Clarissimo Dn. Parentis,  
Carissimo suo Amico, serivô condolens, ist hæc ap-  
pon. voleb.*

ESAIAS SCHRÜER in agris Golaw & Schal-  
kaw ovium pabulo divino pascendarum Pastor.

B 3

ER

Mal. 4.  
v. 2.  
Matth. 13.  
v. 43.  
Philip. 3.  
v. 21.  
Esa. 65. v.  
17.  
2 Pet. 3. v.  
13.

Psal. 72.  
v. 5.  
Tob. 3. v.  
27.

**E**st sublata MINOR, sed MAJOR salva remansit.  
Et maneat! seruetq; suum CONCLUSIO robur!

*Faciebam Tumulo nunc-beata PROFIA MAJORIS:*


*cujus Thalamo, ann. 1618. hoc me dicasse*

*distichon, in memoriam ingrediebar;*

*In promptu MAJOR, MINOR est quoq; certa: quid inde?*

*Quid quæris? Sequitur per se CONCLUSIO bella.*

JOHANNES Chitel Vratislaviensis,  
Inclutissimi Gedanensis Senatûs  
Instigator.



### ALLOQUIUM.

**S**i licet officio pietatis flere beatos  
Quæ Lachesis vitæ præscidit atra decus;  
In liquidas ibit lacrimas introrsus obortas;  
MAJOR, vestra suo lumine casâ Domus.  
Ipse tuo nitidam capiti cecidisse coronam  
Ingemis, & queruli turturis instar agis.  
Quæ comes in letis fuit, indivulsaq; mœstis:  
Arria ceu Thrasea pectore fida viro.  
Adstitit ut constans morituro Percia Bruto,  
Prodiga quæ vitæ se superesse negat.  
Ceu consors Agathocleis pia Texena tadis,  
Se minus avelli Conjuge Regerata.  
Præcipuas luctus causas penitig, doloris,  
Mascula Triga cito funere Matris habet.  
Ac vos tergemina viduata Matre Sorores,  
Virtutum cultu Gratia trina domûs.  
Qualis Gracchorum genitrix, Cornelia prudens,  
Illa suæ Pallas Svadag, docta dexûs,  
[Cum Campana suum jactaret fœmina mundum.]  
Dixit; Opes mihi sunt pignora sola tori.

Talis

Talis & illa suos sexûs utriusq; creatos,  
Matris & egregii sex simulacra Patris;  
Et monumenta domûs firma, stirpisq; columnas,  
Esse perennifluas, PROFIA dixit, opes.  
Vidit enim natu Primum molimine fausto  
Pallados, & Themidos templa petisse sacre.  
Ac doctis Medium Musis Charising, litare,  
Et Minimum Fratrum prævia castra sequi.  
Vidit Palladios manibus tractare labores,  
Et Charitum digitis ducere pensa Nurûs.  
Tales lata minas vidit, floresq; suorum,  
Ex aliquâ Mater parte beata satis.  
Latior illa tamen moriens clausisset ocellos,  
Si pavisset eos ubere messe prius.  
Sed superis aliter visum, calog, vocanti,  
Ut commune suis sponte præiret iter.  
Vulnus inest animis agrè medicabile vestris;  
Sed puto tractatum posse coire manu.  
Durum ferre quidem, levius sed mente fit aqua,  
Quod minus emendes, imminuasq; malum.  
Præstat nempe Deum, quo cuncta auctore moventur,  
Quò vult, absq; gravi murmure, sponte sequi.  
Is malus est miles, qui Martia castra sequendo,  
Ad Ducis imperium flebilis arma gerit.  
MAJOR, qui tanti mensuram nominis implet,  
Pluribus idcirco major habende Sophis;  
Præsidium cui forte Dei Sapiencia summi,  
Subsidiumq; hominum grande Profana dedit.  
Qui tot Discipulos docuisti NOLLE MOVERI,  
Quot nec Athenæum nobile fortè tulit;  
Porticus, aut Hortus Senis, aut Academia pollens,  
Ac Stagirita docta Lycæa Sophi.




Si non scire satis, nec posse docere putabis,  
 Nè simul exemplo dogma tuo te probes.  
 Philosophans nihil est sensus, si segnis opella;  
 Nam Placitis vitæ prævalet ille modus.  
 Non imitare malos, MAJOR concusse, Medentes,  
 Quos afflat nimium gloria vana rudes;  
 Qui jactant aliis se scire mederier agris,  
 Sed sibi non possunt ferre salutis opem.  
 Sed quæ tu viridi tradis præcepta juventa,  
 Hæc tibi subjicias, Prime Epicharme, velim.  
 Nec dolor nullus erit tam mordax pectore, quem non  
 Mitiget, aut tollat longior ipsa dies.  
 Præveniat ratio, cordi medicina salubris,  
 Quod mora longinqui temporis ipsa facit.  
 Sime mares animos, atq; arma robore pectus,  
 Exempli q; viâ sponte præito Tuis:  
 Quos minor excusat ratio, vel sexus, & ætas,  
 Si nimis indulget luctibus & lacrimis.  
 Excutiet reliquum Scholici Respublica Regni,  
 Et data Pierii maxima cura Chori.  
 Te juvet amissa virtutum mentio perpes;  
 Summa sit hæc pietas officiosa tibi.  
 Ultima verba tuis moritura præcipe Gnatis,  
 Ut mandata pia vota q; Matris agant.  
 Ac dum tota Domus spectabis imaginis umbram,  
 Quæ penes effigiem stat Patris atq; Viri,  
 Victurum mentis simulacrum expende perennis,  
 Quod dabis expressum moribus ipsa tuis.  
 Sed tu, tale tuæ, MAJOR, post fata Maritæ  
 Præstas pro meritis funcri Officium:  
 Quale nec Euridicæ vocalis præstitit Orpheus,  
 ERMGARDI QUÆ suæ Manibus HEINSLADES.

Dum

Dum statuam moliris ei non ære, vel auro,  
 Sed quam Postgenitis charta reservat anus.  
 Crescit ut in cedro tractim scriptura comatâ,  
 Mutuaq; ardentis nomina blanda Paris:  
 Sic tua carminibus vel cedro PROPRIA dignis  
 Vivet, & amborum Conjugalis amor.

ET MATRONÆ DESIDERATISSIMÆ  
 HONORI AC MEMORIÆ; ET SO-  
 LATIO CONCUSSE VIDUI, VIRI  
 CLARISSIMI, ELIÆ MAJORIS; U-  
 TRIQ; DEBITUM PIETATIS OFFI-  
 CIUM PRÆSTITURUS L. M. Q.  
 POS.

CHRISTOPHORUS COLERUS.



*Micat Ex Malis Virtus.*

Nulla vis fortis subitique casus  
 Dejecit pectus Sapientis altum,  
 Quod stitit Virtus generosa sacro  
 Palladis Acro.  
 Nocte quæ fulget Pharos eminenti  
 Pendula è turri pelagus per atrum  
 Fundit adversis animata Coris  
 Latius ignes.  
 Sic Sophi duris agitata rebus  
 E malis virtus micat, & decoro  
 Monstrat exemplo superare sævos  
 Pectoris æstus.  
 Non libet Stoæ veteris colonum

C

Cran-

Crantorem ad partes tetricum vocare,  
Qui nefas duxit lacrymis fitorum  
Ossa rigare.

Lege tam durâ cohibere luctum  
Nolumus. Virtus medium tenere  
Præcipit, motus neque cordis arce  
Ejicit omnes.

Persequi fletu queruloque lesu  
Conjugis manes Plato non vetabit,  
Quique Virtutis simul & Minervæ  
Sacra frequentat.

Flere cordatus didicit: sed idem  
Lacrymis metam statuit profusis,  
Et graves tandem sepelit dolores  
Mente sub ægrâ.

Cerne Majoris lacrymas decentes,  
Ritè quis maectat tumulum sepultæ  
Conjugis: Nempe has Pietas profundo  
Corde lacescit.

Nam quis avulsam sibi morte tristi  
Non fleat costam? Penitis recepta  
Viscerum fibris ciet intus acres  
Plaga dolores.

Ut viro fas est tamen ingemiscit  
Major, & turpes premit ejulatus,  
Ceui Pius funus Sapiensque cari  
Luget amici.

Novit exemptam Mariam periclis


Coe-

Coelicæ sacrum tetigisse portum  
Patriæ, quem nos petimus relictum  
Speque fideque.

Ergo Majoris micat ulque major  
E malis virtus; nitidos uti sol  
Exerit vultus, simul atra nubis  
Syrmata scindit.

*Honoratissimo Domino Collegæ ex animi-mente  
condolens scribebam*


M. JOHANNES Sechner.



Æ Dis tres Sacræ nuper cecidère Columnæ.  
Una Tuæ tantum lapsa columna Domûs.  
Restaurasse potest Opifex tamen impiger illas:  
Hanc Hominum nemo, Tros Rutulusve fuat.  
Inde Tuæ major, minor at jactura videtur  
Sacratæ (foret ô Neutrius ulla!) Domûs.  
Ne diffide tamen, MAIOR non, Conjuge lapsa,  
Lapsa simul, gestans quæque, Columna, DEUS.

*Singularis condolentiæ e. f.*

M. Joh. Hannke Sen. ad D. Barb.  
apud Wratislaw, Ecclesiastes.



JAM novus annus adest, & prospera more recepto  
Vocibus alternis quisque vovere studet,  
Attriste auspiciam contra communia vota  
Gratantum, MAIOR, teque tuosque premit.

C 2

Dum

Dum te destituit peracerbâ morte Marita,  
Et facit in viduo deinde cubare toro.  
Vita valetudoque homini sunt optima dona,  
Quæ juncta in terris tædia nulla movent.  
Nunc quoniam consors amisit utrumque, videris  
Tu quoque dimidium mortuus esse tibi.  
Desine curarum; tibi jam domuique dolenti  
Opportunus opem mittet Iöva novam.  
Et benè habet Conjux: bona nobiliora voveri,  
Quàm queis jam fruitur, noluit Ipsa sibi.  
Est ingresa novum, qui nunquam desinet, annum,  
In quo decurret turbida nulla dies.  
Tædet, ait, mundi annorum: veterascere sensi:  
Malo annum in cœlo, qui manet usque novus.

*Pii adfectus contestandi causa F.*

MATTHIAS MACHNERUS, Reip. Uratisl.  
à Latinis expeditionibus, nec non in Ju-  
diciis Ecclesiast & Orphanorum Notar.

**O**lim cum thalæmi sociam, CLARISSIME RECTOR,  
Adjunxit lateri Summus Iöva tuo;  
O quàm dulce fuit fatum! quàm gaudia multa  
Postmodò sunt tede festa secuta sacra!  
Hinc evenerunt, Multi quæ Carmine & ore  
Optarunt vestro prospera quæq; toro.  
Inter vos fuit unus amor, mens una, fidesq;  
Una, quibus vestra est mirè animata domus.  
Haut desunt cura, haut desunt incommoda, quorum  
Multa labor scholicus conjugiumq; parit:  
At scitè norat curarum demere partem  
Blanda Marita Tibi & cor recreare tuum:

Consors illa fuit vita, curæq; levamen:  
Illa animo peperit gaudia mille tuo.  
O utinam illa, tuæ fidissima portio mentis  
Vivat adhuc tecum, vivere digna diu!  
Hac vivente, Tibi vitam quoq; dulcius esset  
Vivere, & injuncti ferre laboris onus.  
Verùm morte perempta jacens, superesse Marita  
Desiit, & jam sat vixit in orbe Tibi.  
Illam jus sit adire DEUS cælestia tempe,  
Ut soli vivat tempus in omne Sibi.  
Hinc tam triste datur Viduo Tibi cernere fatum  
Dum disjuncta vides pectora vestra duo;  
Quàm vobis letum voluit quondam esse Jehovah,  
Junxit ubi unanimi corcula vestra fide.  
Luges, & tecum charissima pignora lecti,  
Conjuge cum sis; Hæc orba parente piâ.  
Sed nimio parcas luctu cor rodere, parcant  
Et Nati lacrumis ora rigare suis.  
Qui dedit his Matrem, Sociam Tibi, hic abstulit, Idem  
In summo tandem reddet Iöva die.  
Quòd Tibi sit durum, vita consorte carere,  
Teq; Tuos orbos matre videre suâ,  
Credo, status vidui expertus quantus sit amaror,  
Atq; suâ subolem matre carere videns.  
Inde Tibi incussum doleo ore manuq; dolorem,  
Huncq; DEUS relevet, sola Medela, precor.

Συμπάθειαν pariter & Observantiam  
Clariss. Dn. Reçtori, obitum Conjugis  
suz dilectiss. lugenti,  
ὀλοφύχως declaraturus, hæc exhibere non minus vo-  
lebat quàm debebat collugens,  
COELESTINUS Schröder/Uratisl. in Subur-  
bio ad S. Salvat. Ecclesiast. & Gymn. Elisab. Coll.

**V**ir Erudite præmodum, Vir Excellens,  
Elisici Parnasi Apex honorande,  
Puertiaq; amabilis, piens, docte,  
Cordate, clemens Mystagoge, Rex, Doctor;  
Oraculum & Decus simul meum dulce,  
Verende MAIOR, ecce dum Tuæ ob fata  
Paras acerba Comparis quiritare;  
Et hinc, ut æquum, ô Rector, ô Pater, nostrum.  
Non muginatur nemo nãmiam mœstam;  
Heu præter omnem Nuncius mihi sperem.  
Aures ferit: Sic ergò, dum cadit Vestri  
Rectoris Uxor, Olsnicus simul Rector,  
Sanguis tuus, VIBINGIUS, subit fatum?   
Vox hæc stupenti, frigido Mihi, muto  
Expectoravit spiritûs mares omnes,  
Ut, quos parabam Conjugi Tuæ Versus  
Plures trecentis, funderem è sinu cunctos,  
Nec quid super, suspiriis piis, esset.  
Qualis, Doryclæ pignus, Inachus quondam,  
Qui solus antro conditus, suo fessas  
Fletu auget undas, confluentibus latè  
Amphrysiò, Sperchio, Enipeo, Æante,  
Aliis fluentis, Thesalæ Patrem Daphnes  
Solamine erectum: pari modo Spartam  
Nunc Mens adeptam mœsta nescit ornare.  
O Conjugem verò tuam Sibyllinò  
Dignam videre seculo pares annos!  
Ast fata sanctionis excipem æternæ

Ut

Ututesse nolint, ipse Tutamen Vitâ  
Æternitatis Candidate, donabis.  
Quin Comparem Tibi in simillimis Matri  
Pius, modestis, sedulis pudicisq;  
Est Filiabus usquequaque Iultrare,  
Et denique hanc post halitus tui pausam,  
Videbis in micante siderum summâ,  
At serus in cœlum reuersus hanc cernas!

*Sic ex animo, pro eo ac debet, οὐκ ἔστιν ἄνθρωπος  
Cultum suum testaturus scrib.*

JOHANNES GEBHARDUS  
Gymn. ejusd. Coll.

**Q**uisq; suos patimur manes; licet arctius illum.  
Arctius hunc duri premat inclementia fati:  
Attamen haut quisquam est, mortali semine cretus,  
Qui non vel juxta corpus, misero vel in ipso  
Corpore nonnunquam casum patiatur acerbum.  
Scilicet hic capitis cerebriq; gravedine languet,  
Iste urentum oculum, manuumq; pedumq; dolores  
Sentit, vesicæ is punctis stimulat acutis.  
Ille melancholicâ terretur imagine tristi,  
Intima quâ mirè turbantur viscera, & ipsi  
Sensus ceu quadam Eclipsi obscurantur opacâ.  
Multi extrâ corpus variis jaculantur iniquæ  
Fortune telis, ita ut huic tollantur opes, ac  
Vi, veluti Jobo, populetur ovesq; bovesq;  
Præda avidus miles; vel flamma, furentibus austris

Orta,

Orta, isti patrii comburat culmina tecti,  
Vel segetes grando primo prosternat in anno;  
Vel famam spinosa Calumnia dente canino  
Rodat, & invidiae stimulis sat turgida cunctis  
Reddat suspectam; vel atrocia spicula mortis  
Importuna illi lethali vulnere sternunt  
Sanguine Cognatos, seu longo temporis usu  
Quos devinxit amor, Thesea fidesq; probavit,  
Seu perimunt praeter spem dulcia pignora chari  
Conjugii, sive ipsa tori socialia jura  
Rumpunt, atq; necant multa virtute maritum,  
Et subito cadunt multa virtute maritam.

Proh dolor hoc etiam lachrymosi turbine fati  
Permittente DEO, Tu Praeclarissime MAJOR,  
Factatus, viduus merito cum prole dolente  
Luges, dum Libitina nimis properè tibi costam  
Atq; illis matrem rapuit, quae candida, simplex,  
Pacis amans, studiosa DEI, pia, mitis egenis,  
Sobria, casta fuit, sortis pro tempore lato,  
Lata tibi, tristi quoq; tristis, & omnia fasce  
Uno ut complectar, fidei socialis imago,  
Et verum Exemplum, in vita tibi fida columna,  
Et studiis peramœna tuis solatia dictans,  
Et studiis perhonestas tuis medicamina praebens.

Hujus in occidua tanti ergo muneris umbrâ  
Non solum ipse, tuæq; domus genuina propago  
Lugetis, verum quoq; tecum plangimus omnes  
Qui modo cunq; bonum lepidumq; probare solemus.

Plan-

Plangimus, inquam, omnes; Quis enim, nisi saxcus omni  
Exuat adfectum tam charæ in morte maritæ,  
Tam bene moratæ, tam gratæ in morte maritæ?  
Cura cui fuit una suum curare maritum,  
Et blandè tractare suum, & deamare maritum,  
Inq; oculis gestasse suum, & coluisse maritum.  
Plangimus, atq; modicè: memores, quod vixerit æque  
Ac alii mortalis, jam immortalis ut esset  
Exuerit carnem, hic fueritq; misella MARIA,  
Illic absq; malis; expers mœroris & omnis  
Tristitiæ, supera letans nunc vivat in arce,  
Nullis morborum, nullis obnoxia nimbis  
Bellorum, aut aliis Fortuna immanibus ausis.

Ergo abeant lachrymæ: Tuq; omni parte beata  
Salveto, partisq; bonis fruerè; optime & ipse  
Tu, MAJOR, nostrum decus & laus incluta, tandem  
Desine threnorum; Sobolesq; bono patre nata,  
Tu quoq; ne nimio permittas frena dolori  
Libera, sed potius maternâ in sorte quiescens  
Nobiscum supplex implores Numina sancta,  
Ut vegetum senium, longam vitamq; Parenti  
Concedant; Etenim viro hoc & sospite nostræ  
Salva scholæ doctrina, & vos florebitis ipsi.

Debitæ observantiæ & intimæ reverentiæ  
declarandæ causâ, hoc, quicquid est,  
collugens F.

M. Joh. Balthasar Carg, ad D. Elisabeth.  
Cantor & Collega.

D

MA

**M**AJOR, flore novo per quem res Musica floret,  
 Demissisque fugit barbaries manibus:  
 Ne tibi sit, quæso, moesto succumbere luctu,  
 Quem peperit Caxæ mors inopina tuæ:  
 Dignæ, condecoret Cæi quam nænia Vatis,  
 Non Bavii insipidum carminis elogium.  
 Quid sumus obstreperi? facta est divina voluntas,  
 Illam mutatam nulla querella dabit.  
 Ut lucem nocti, sic vitam cedere morti  
 Cernimus, ex jussu cuncta regentis Heri.  
 Uxor, crede mihi, in terris tuæ desit esse,  
 Coelo solius posset ut esse DEI.  
 Hanc vitæ saturam Jovam excepisse benigno  
 Naturamque sinu, res facit ipsa fidem.  
 Quam paucis licuit cum compare condere, quantos  
 Unanimis tecum condidit illa dies?  
 Cernis defunctam in subole spirare maritam,  
 Quæ capitur matrem coelite mente sequi.  
 Sopiet hæc vigiles curas, poteritque maritæ  
 Hæc desiderium mitificare tuum.  
 Discupis extinctæ, MAJOR per vivere gratus?  
 Moerorem jubeas res sibi habere suas.  
 Sis meminens illud, tibi quod nunc desero in aurem,  
 Non tempus, ratio sit medicina malo.  
 Ut tandem Musis, suboli & tibi vivere pergas,  
 Optamus Clario dedita turba DEO:  
 MAJOREM promus condus vitæ asferat ævo;  
 Annos ut dextrâ computet ille suos!

DANIEL SARTORIUS.

Conjugii dum vincla tui Moderator Olympi  
 Solvit, Te duro subjicit ille jugo.

Hancce

Hancce crucem fert patienter, Compater, hoc &  
 Ipsum ut conjugium, sit quoque dulce jugum.  
 Ex voto Sociam thalami tibi JOVA benignus  
 Ceu dedit, ex fato sic rapit hancce Tibi.  
 Fata manent omnes; Sanctos sed fata benigna;  
 In Cælis conjux jam Tua vivit ovans.

Clarissimo Suavissimoque meo Dn. Com-  
 patri debitæ observant. & condol.  
 ergo scrib.

BERNHARDUS Breitschwerdt/Freu-  
 denthal. Siles. Wratisl. Gymnasii Elisab.  
 Collega.

Defunctos deflere licet, flentesque juvare,  
 Illud Amoris, at hoc est Pietatis opus.  
 Sed Proba cum mortem vitæ Tua vicerit Uxor,  
 Morteque sit Major, vix Tibi flere licet.  
 Cumque scias doctè multorum tollere luctum,  
 Fletu & sis Major, Carmine non opus est.  
 Hinc Tua nunc victrix devictâ Morte triumphet,  
 Tuque Tuum luctum voce animoque rege.

l. f.  
 DAVID REISELIUS,  
 Ecclesiastes in Ransen.

S zeuchst du auch davon / du Krone frommer Frauen/  
 Du Spiegel aller Zucht / in der man fonte schawen  
 Was rechte Tugend war! vnd lässest vns allein  
 In dieser letzten Welt ganz ohne Hülffe seyn!

D 2

Drewes

O treues Mutterherz! Kan dir den Lauff nicht hemmen  
 Die Angst- vnd Kummerflucht / die vns wird überschwemmen/  
 Wann eingerissen ist das Bollwerck / das vns Schutz  
 Gehalten wider viel vnd grosser Feinde Trutz?  
 Bedenckest du dann nicht dein tugendhafftes Leben /  
 Das hier in dieser Welt ein Beyspiel hat gegeben  
 Gar vielen Sterblichen / so gar / das auch den Neid  
 Schön selbst / dein Todesfall / gesehet hat in Leid?  
 Kan nicht das Nothgeschrey die blawe Burg erreichen /  
 Vnd diesesmal darinn den Prinzen nur erweichen /  
 Das Er genädig sey / vnd wehre dieser Noth/  
 Womit vns jetzt belegt / Ach weh! der bleiche Tod?  
 Hilfft dieses alles nicht? so will ich doch beklagen  
 Mit Seuffzen ohne Mas / die bitter-schweren Plagen /  
 Die Trübsal / Angst vnd Noth / damit wir sind belegt /  
 Wie kam der Vatter Jan / der zwey Gesichter trägt /  
 Ein neues Jahr gebracht: vnd wünschen dir zu Lohne /  
 O liebstes Mutterherz! des Himmels Gnadenkrone  
 Für deinen treuen Fleiß / den du auff vns gewandt /  
 Wie selbsts dir / O Gott! viel mehr dann mir bekant.

Aus schuldigster Pflicht vnd höchst-betrübtem  
 Herzen seuffzet dieses

**M. CHRISTOPH. BREMER**  
 von Hamburg.

AH! permulta tuo fundis suspiria corde,  
 Compater, Uxoris fata suprema dolens.  
 Fata probæ Profiæ quereris, Vir Magne: sed esto,  
 Dixti ut: VELLE DEI, SIT QUOQUE VELLE  
 MEUM.


Vivit

Vivit honesta Tuæ terris fama, incola coeli  
 Mens est, atque cinis non remanebit humo.  
 Spes hæc summa tua est, Profiæ est hæc laus quoque  
 summa;

Viva mori didicit, mortua viva manet.

*Cl. Dn. Compatri condolens dabam*

**CASPARUS Hoffmann / Gymn. Elisab.**  
*Collega.*



**Maria Geborne Profin /**

Durch Buchstaben-verschung /

**O bringe! Ein from Paar.**

Bringe Trost allzeit dem Herren Rector hier /  
 Weil seine Frau ist fore / so war sein Lust vnd Zier  
 In dieser Sterblichkeit. O bringe gleicher massen  
 Den Kindern auch dein Hülf / du wollst sie nicht verlassen.  
 Nein: sondern täglich sie bewahre WunderGott  
 Mit deiner Allmachtshand / den Vater sonder Noth  
 Bewahr auch Jesu Christ. Ein fromb Paar hier auff Erden  
 War dieses / weisst du wol / Laß endlich selig werden  
 Uns all auß Gnaden dort / so wollen preisen wir  
 Dich ewig / grosser Gott. Bewahre für vnd für  
 Den frommen **M A J O R** hier / die Stadt vnd alle Christen /  
 Das Amen sey mit dir / du wollest vns aufrüsten  
 Mit deinem Himmelstrost / vns selig sterben laß /  
 O liebster **H E R R** vnd **G O T T** / vns Alle du umbfaß  
 In dieser letzten Zeit / so wollen wir Danck singen  
 Dir hier vnd ewig dort / mit dir wird vns gelingen.

**PAULLUS THAUMASIUS** Collega Gymn.  
*Elisab. apud Vratislavienses.*

**D**iscrucians animum mœror, proh! nascitur anno  
Rectori hocce novo, mensque dolore labat;  
Dum morte occumbit quàm dilectissima Conjux,  
Quæ fuit illius pulcra Corona domûs.  
Discrucians animos luctus, proh! nascitur anno  
Hocce novo & Gnatis, rore genæque madent;  
Dum cadit alma Parens, & sic cum Patre relinquit  
Eheu! dilecti Pignora mœsta tori.  
Fas est, ut Conjux lacrymas in funere fundat  
Conjugis, ipsa velut Pagina sacra docet;  
Fas est, ut Nati deplorent fata Parentum.  
Hæc itidem Christos Biblia dia jubent:  
Ast modus in luctu, fletûs quoque terminus esto;  
Nos siquidem vitæ mors stata meta manet.  
Illa nec interitus nostris, sed transitus, atque  
Ad Patris æterni janua certa domum.  
Hinc venerande Parens, & vos quoq;, Funera, Nati,  
Conjugis & Matris parcite flere nimis.  
Non etenim periit; corpus licet ejus in urnâ  
Condatur: nam Mens vivit in Æde DEI.  
Interea Mœstos spes hæc firmissima servet:  
Vos cum Defunctâ jungere velle DEUM.

DAVID SCHULTETUS,  
Collega Gymn. Elisab.

**S**i morti obstaret Pietas, si gratia morum,  
Musci MAJOR, RECTOR amande gregis:

Si

*Si pius in Sobolem affectus, si cara Mariti,  
Conspiciusq; timor Numinis ætherei:  
Essent plura Tuæ Costæ quàm secla Sibyllæ;  
Res alia aut si quæ longius hiscè foret.  
Verùm aliud placuit JOVÆ, qui dirigit Orbem,  
Et vitæ nostræ denotat ipse modum.  
Nempè illam voluit Cæli sustollere in aulam,  
Atq; inter justos inclytum habere locum.  
Hinc E jus jam plena DEO mens, tota beatis  
Latitiis gaudet, quæ sociata piis.  
Ergò ô felicem! quæ tanto è pulvere raptæ,  
In CHRISTO nostro deliciis fruitur.  
Hic dolor, hic luctus, certamina tristia mortis;  
Illic letities, vita & amœna quies.  
Planctus siste tuos, lacrumas absterge, quiesce:  
Te Numen Sociæ junget in axe Tua.*

Clarissimo VIRO olim PRÆCEPTORI  
nunc FAUTORI suo, ætatem co-  
lendo, dulcissimæ MARITÆ obi-  
tum acerbè lugenti, Consolationē  
à DEO omnis consolationis pre-  
cans ac infractum animum,

*paucula hæc meditabatur*

TOBIAS Schneider.

EPI-



EPITAPHIUM.

**H**ERIC, ERGA NUMEN, HOMINES, SE ADVERSUS  
ET IPSAM  
QUÆ PIA, JUSTA FUIT, CASTAQUE, TERRA  
TEGIT.  
FIDA BENE, ATQUE ADAMANS, MANSVETA-  
QUE QUÆQUE MARITO,  
NATORUM, ATQUE FUIT SERVITIO, JACET  
HEIC.  
QUÆ TERRÆ MINIME PONDUS FUIT, ERGO  
PRÆCARE  
QUISQUIS ES INDE ABIENS: SIT TIBI  
TERRA LEVIS.

Grabschrieffe.

**E**In Weib/ das gegen Gott / dem Nächstten / gegen Ihr  
Selbst/ heilig vnd gerecht vnd keusch war / liget hier/  
Die Treue / Liebe / Gunst dem Manne hat erzeigt /  
Den Ihrigen/ so ihr gedienet / liegt vnd schweigt.  
Die nicht der Erden Last. Sprich vor eh' als dein Bein  
Dich weiter trägt : Dir muß die Erde leichte seyn.

L. M. Q. P. FIL. ESAIAS MAJOR.

F I N I S.